

D. D.

DISSERTATIO HISTORICA,
SOLENNEM INSCRINATIONIS ACTUM
B. EPISCOPI ABOENSIS
HEMMINGI
EXHIBITURA.

C U S
PARTEM PRIOREM,

Venia Amplif. Ord. Philos. in Reg. Acad. Aboënsf.

P R Æ S I D E

*M*_{AG.} **J O H A N N E**
B I L M A R K,

HISTOR. ET PHIL. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORD.

Publico submittit Examini

GUSTAVUS SIVERS,

Ostro-Gothus.

In AUDITORIO MAJORI Die VIII Martii MDCCLXXV.

H. A. M. S.

A B O Æ

Impressit JOHANNES CHRISTOPHORUS FRENCKELL.

S:Æ R:Æ M:TIS
SPECTATISSIMÆ FIDEI VIRO
VENATIONUM ANLICARUM MAGISTRO ET EQUITI
ORDINIS ENSIÆRI
NOBILISSIMO DOMINO
Dn. CAROLO de SIVERS,

ITEM

S:Æ R:Æ M:TIS
SPECTATISSIMÆ FIDEI VIRO
SECRETARIO AD REGIAM ARCIS CANCELLARIAM,
NOBILISSIMO DOMINO,
Dn. HENRICO de SIVERS,
FRATRIBUS DILECTISSIMIS, HONORATISSIMIS,

NEC NON

RECTORI SCHOLÆ TRIVIALIS SUDERCOPIENSIS,
PLURIM. REVER. atque PRÆCLARISSIMO DOMINO,
Mag. PETRO WIMMERMARK.

Partim

Ob Fraternali benevolentiam

Partim

Ob indefessum, circa institutionem meam, studium

Dissertationem hanc sacram
esse voluit ac debuit

AUCTOR.



P R Æ F A T I O.

Ex quo Pontificum Romanorum potentia eo usque crevit, ut arbitros Religionis sese constituerent, omnem deinceps operam ipsi impenderunt, ut non tantum sceptrum omnia suo subjicerent pedo, sed etiam populorum animis jugum imponerent, sibi que auctoritatem quavis civili superiorem & Divinæ proximam adfererent. Quantum a sana ratione isthoc abhorruit institutum, tantum in eo elaborarunt Joves Capitolini, ut rationis multoque magis revelationis usum corrumpere atque suffocarent; utriusque loco superstitiones quasdam ceremonias hominibus obrudentes, quibus tam ad Pontificum Romanorum venerationem adducebantur, quam a vera pietate longius quotidie recedebant. Hinc non sibi tantum vicariam DEI in terris gubernationem arrogarunt, sed ministris etiam suis, tam vivis partem vasti hujus imperii concesserunt, quam pridem defunctis fama que rerum, in commodum sive Ecclesiæ sive Hierarchiæ Pontificiæ gestarum, celebribus Divinum cultum tribuerunt. Enimvero ne coacta esset hæc veneratio, quæ reliquii defunctorum exhibebatur, necesse fuit, tum ut facta eorum quodam magnalium furo incrustarentur, tum ut miracula, ad eorum tumulum patrata, ebuccinarentur & idoneis confirmarentur testibus. Hoc ad fidem simplici vulgo faciendam evictis, ossa defuncti ex humo, qua condita fuerunt, eruebantur, atque scrinio, ex argento plerumque confecto, magna ceremoniarum pompa includebantur. Actum hunc insequebatur ipsa

Apotheosis seu Canonizatio, qua Pontifex Romanus de-
 mortuum, magna solennitate consecratum, in Divorum
 & Sanctorum numerum retulit, eique, ceu novo Numi-
 ni, Divinum cultum, ab omnibus exhibendum, Aposto-
 lica, quam sibi vindicavit, auctoritate tribuit. De cano-
 nizationis hujus origine, progressu, cum paganico cultu
 convenientia, nec non de ipsius moralitate, impræsen-
 tiarum dicere nihil attinet, quum multi multa in isthoc
 argumento pridem scripserint. Alio nos vocat instituti nostri
 ratio. Scilicet inter Templi Cathedralis Aboënsis Ci-
 melia, quæ admodum pauca supersunt, primus invenit
 Pl. Reverendus Templi Oeconomus b. m. Dn. DAVID
 DEUTSCH Manuscriptum quoddam exhibens ritum,
 quo reliquiæ Episcopi Aboënsis B. Doctoris HEMMIN-
 GI, scrinio fuerunt inclusæ, qui rarissimum hoc scriptum
 confestim tradidit Historiarum Professori ad hanc Aca-
 demiam & Cancellariæ Regiæ Cancellario b. m. D. no
 ALGOTHO SCARIN (a). At inelytus hic antiquitatum
 Patriarum scrutator, partim senio, partim aliis negotiis
 impeditus, nec litterarum notas explicuit, nec observa-
 tionibus suis scriptum hoc illustravit, sed tale, quale id
 acceperat, paullo ante obitum suum tradidit successori
 suo in munus Cel. Præsidi meo; qui iterum mihi in-
 junxit, ut eidem enucleando studium & operam qua-
 lemcumque meam impenderem, varia benigne mihi sup-
 peditans adminicula, quæ ad præsentis argumenti illu-
 strationem apprime fuerunt necessaria. Quod ad ipsum
 manuscriptum attinet, est hoc consignatum a famigera-
 tissimo Episcopo HEMMINGO GADD, uti ex sequenti-
 bus luculenter constabit. Videtur quoque esse ἀυτογγρα-
 φον, quamvis literæ passim occurrant, quæ lectionem
 reddunt perquam difficilem. Est illud insuper ordinaria
 charta in folio tribus paginis exaratum, jam vetustate at-
 que usu ferme fatiscens; figura vero litterarum & conti-
 nuæ

nax fere abbreviaciones satis superque indicant, illud circa initium Seculi XVI esse confectum. Hoc antiquitatis cimelium tanto magis dignum judicavimus, quod in publicam emitteretur lucem, quo pauciora ad nostram memoriam pervenerunt documenta, Historiam Fennicam illustrantia. Cui accedit, quod ex isthuc discamus partim subdolas Pontificum Romanorum technas in fascinandis populorum animis, partim mores Majorum nostrorum istis superstitionum seculis. Quam ob rem non tam speramus, quam potius confidimus, Lectorem Benevolum innoxios nostros conatus pro ea, qua est, æquanimitate meliorem in partem fore interpretaturum.

(a) Hinc factum est, ut hujus Manuscripti mentionem faciat Rev. Episcopus *A. RHFZELIUS* in *sua Episcoposopia Tom. I. p. 13 not. h.*

§. I.

Fuit autem Episcopus Aboënsis D:nus Doctor HEMMINGUS natus 1291 in Parœcia Uplandiæ Bælinge, Diœcesi Upsaliensi subjecta; ipseque in studiis Litterarum, ut tempora tunc erant, non solum optime versatus, sed etiam ob integritatem morum adeo celebris, ut Canonicus primum Upsaliensis & paullo post Aboënsis fuerit constitutus. Heic autem omnium animos ita sibi devinxit, ut postquam Episcopus Finlandiæ BENEDICTUS An. 1338 e vita excesserat, communibus Capituli suffragiis ad Cathedralam Aboënsē An. 1340 (a) fuerit eVectus, atque, impetrata confirmatione Papali ab Archi-Episcopo Upsaliensi PETRO PHILIPPI in Templo S. Nicolai Holmiæ inauguratus. Sicut admodum impiger fuit in munere sibi demando rite administrando; ita nullam prætermisit occasionem, qua Diœceseos suæ commoda promovere posset;

set: cujus rei argumentum est, quod Alandiam quæ Diocesi Upsaliensi hætenus fuerat innexa, jurisdictioni Episcopi Aboënsis subjecerit (b). Circa auspicia muneris Episcopalis An. 1340 fundavit Præposituram Aboënsis, cui multa subjecit prædia, quæ enumerantur *Cairis*, (non *Korois*) *Medelby*, *Jenissari*, *Forsby* &c. (c). De ipso etiam templo bene mereri non intermisit, sed idem variis modis ditavit. Inprimis huic donavit *Insulam Episcopalem* & *Pedum* (*Mösa och fräckla*), *eximium vestitum missalem* (*Måssefrud*), atque *insignem librorum Theologicorum & Juridicorum supellectilem* (d). Nec minus in publicis Regni negotiis inclaruit, præcipue in Comitibus Wardbergenibus An. 1343, in quibus confœderationi in Octobri subscripsit cum aliis Præsulibus Sveo-Scanicis (e), qua statutum, ut Scania, Hallandia & Blekingia imperio Svethico, cui hæ provincię ab antiquissimis inde temporibus paruerant, in perpetuum subjicerentur. Paulo autem post incidit in gravissimum odium Regis MAGNI SMEK, quem propter dissolutam vitam & perversam imperii administrationem justo pioque elencho sæpius increpaverat; a quo propterea bis carceri mancipatus fuit. Anno enim 1347 inquit MESSENIUS (f) S. HEMMINGUS incolarum ob tributa agraria, a Rege Magno imposta, lamentantium misertus, & Regi sese opponens, ab illo in Finlandiam veniente in vincula conjicitur. Et paullo post: An. 1361. S. Hemmingus Magnum ejusque Reginam parricidii in Ericum filium sibi carissimum arguens in custodiam iterum intruditur, unde sacra per regnum quinquennio obmutuerunt (g). Immo Rex Episcopum hunc diutius forte in vinculis detinisset, nisi fulmina Jovis Capitolini extimuisset. Libertati autem redditus hic Præsul, sedulam dedit operam, ut singula negotia in Diocesi sua decenter peragerentur, effrenosque Monachos intra officiorum gyrum graviter coercuit. Atque hoc modo sese gessit usque ad annum

1367, quo pedum Episcopale, quod per XXVII annos gesserat, deposuit, ex hac vita commigrans, corpusque ejus in supremo Templi Aboënsis Choro fuit sepultum.

(a) Ad clavum Episcopalem An. 1341 ipsum accessisse tradit *MESSENIUS Scand. Illustr. Tom X. p. 15*. E-
nimvero quum in confesso sit, quod Episcopus HEM-
MINGUS per XXVII annos pedum Episcopale gesserit,
atque An. 1367 decesserit, ipso etiam *MESSENIO* teste in
Scand. Illustr. Tom. III. p. 24, evidens est, quod munus
Episcopale An. 1340 adierit. Adde quod Episcopus hic,
An. 1340. Præposituram Aboënsis instituerit, vid. *RHY-
ZELII Episcopos. Tom I. p. 331*. (b) Vid. *MESSENI*
Scand. illustr. Tom. III. p. 10 & Chron. Finlandiæ p. 15.
(c) Vid. *JUSTENI Chronicon in L. B. de NETTELBLADT*
Biblioth. ScioGoth. Tom. I. p. 70 (d) Confr. *RHYZE-
LII libr. cit. p. 331*. (e) Vid. *LUNDII Notas ad AGA-
PETI litteras p. 14*. (f) Vid. *Scand. Illustr. Tom III. p.*
13. (g) Vid. *Libr. modo cit. p. 20*.

§. 11.

Proba HEMMINGI vita, diligens & exacta muneris
administratio, emendatio vitæ Monachorum, qui nullum
non licentiæ genus sibi permittebant, imprimis vero ob-
stinatio illa animi, qua Regi MAGNO, SMEK cognomi-
nato, denarium S. PETRI sibi & Regno vindicanti, acer-
rime restitit (a), præcipuæ fuerunt causæ, propter quas
magnam sanctitatis famam in Ecclesia Romana consecu-
tus est hic Episcopus. Addunt Papicolæ, Præsulem hunc
adeo sanctum fuisse, ut Divina revelatione gavilus fuerit,
cum alias, tum imprimis circa nativitatem B. BIRGIT-
TÆ. Tunc enim vidisse perhibetur nubem lucidam, &
in medio nubis Virginem sedentem, atque librum expli-

catum manu tenentem, & hæc simul proloquentem audivit: *Nata est BIRGERO filia, cujus admirabili voce mundus universus personabit* (b). An vigilans vel in somno hoc viderit & audiverit non pertinet annales. Ineptum autem hoc esse commentum, & ad aniles fabulas referendum, ipsa docet Chronologia; B. HEMMINGUS enim An. 1304, quo nata est B. BIRGITTA ex ephebis vix dum fuerat egressus (c). Quicquid hujus apparitionis sit, merita B. HEMMINGI tanti sunt habita, ut Capitulares Aboenses, & cum illis Proceres ac Præsules Regni, de Canonizatione ejus tam apud Concilii Constantiensis Patres, quam apud Romanos Pontifices integro ferme seculo supplices egerint. Imprimis id negotii in se suscepit HEMMINGUS GADD, qui sicut diu in Aula Romana versabatur, ita non prius destitit, quam Pontifex Romanus desideratum honorem B. HEMMINGO decerneret. Hoc factum est indultu Papæ ALEXANDRI VI. data Romæ Bulla die 16 Martii An. 1499. Nec tamen ante devolutos inde XV annos, hoc est An. 1514, præsentibus ex commissione Romana, præter Episcopum Aboensem ARVIDUM KURCK, JACOBO ULPHONIS Archi-Episcopo Upsaliensi, & MATHIA RYNING Episcopo Stregnesensi, reliquæ B. HEMMINGI solennitate consveta in Basilica Aboensi de sepulcro elevatæ sunt, & scrinio argenteo inclusæ. Ita OLAVUS PETRI & PAULUS JUSTEN, temporibus illis contigui; atque illius quidem in Chronico MSto hæc habentur verba: *Anno Domini 1514 foro Erchieb. Jacob, Bisk. Math i Stregbnæes til Abo, medh någhre flere och grofwor up aff jordene helighe Hemminghs been, som ther Biskop hade varit ij Konungh Måns Smeks tid 2c.*; cui etiam consentit Rev. Episcopus JUSTEN (d). Abit quidem nonnihil MESSENIUS (e), ejusque testimonio acquievit Rev. Episcopus RHYZELIUS (f); qui Pontificis LEONIS X, tunc sedentis, auctoritatem accessisse tradit; sed Bullam adfer-

adfertū hujus testem non habemus. Nec est, quod miremur, B. HEMMINGI memoriam, popularium nostrorum cultui, minus fuisse commendatam, aut in Missalibus, & Breviariis, quorum Aboënse jam An. 1488 prodierat, non esse celebratam. Solemnem enim elevationis reliquiarum B. HEMMINGI actum, turbulenta adeo insequabantur tempora, ut cultui hujus Sancti rite vacare non potuerint Nostrates, turbinibusque his quodammodo disjectis purior Lucis Evangelicæ aurora Majoribus nostris adfulsit, quæ tenebricosas illas Pontificum Romanorum præstigias sensim dissipavit. Ceterum ipsam Bullam, cujus mentionem fecimus, heic exhibemus, quam nobiscum benigne communicavit Cancellariæ Regiæ Consiliarius, Nobilissimus Dominus MAGNUS de CELSE, varias maximi momenti adjiciens observationes Historicas, quod luculentissimum favoris documentum gratissimo semper agnoscemus animo.

Copia gratiæ novissime impetrata in negociis beatorum Nicolai Lincopensis, Brynolphi Scarenis & Hemmingi Aboënsis Episcoporum, ac sanctæ Ingridis, sanctimonialis Skeningensis. Venerabilibus Fratribus, Archi-Episcopo Upsalensi, Lincopensi, Scarensi & Aboënsi Episcopis.

Venerabiles Fratres salutem &c. Supplicatum fuit nobis per dilectum filium, Hemmingum Gad, prepositum Lincopensem, Cubicularium nostrum, & vice Regis ac Regni Sveciæ, apud nos & se apud oratorium constitutum, ut corpora seu ossa bone memoriæ Nicolai Lincopensis, Brynolphi Scarenis & Hemmingi Aboënsis Episcoporum, ac Ingridis sanctimonialis Monasterii Skeningensis, Orainis sancti Dominici Lincopiæ Dyocesis, quorum animæ beate, ut pie isthic creditur, in conspectu Divinæ majestatis acceptemur. Magnusque est populi Regnorum Sveciæ Daciæ & Norvegiæ concursus, & devo-

devocio & veneracio continua vigere asseritur erga dictorum corpora & ossa, ob laudes & sancte eorum vite & meritorum opinione, & miraculorum ut dicitur coruscacione, in eisdem ecclesiis quibus presuerunt, minus decenter pro eorum dignitate habita, ex sepulturis, in quibus jacent, in alium honestiorem & honorabiliorem locum in prefatis ecclesiis decencius transferri & honorari possint, licenciam de benignitate apostolica impetrare & concedere dignemur. Nos igitur devotis hujusmodi supplicacionibus inclinati, dignitate Episcopali, ac aliis premissis attentis - - - - corpora Nicolai, Brynolphi & Hemmingi Episcoporum, ac Ingridis sanctimonialis prefatorum, ex locis seu sepulturis in quibus humata jacent, libere & licite exhumandi, & in locum decencio-rem, in Lincopensi, Scarensi & Aboënsi ac monasterii prefati ecclesiis respective cum ceremoniis & Solempnibus debitis & consvetis transferendi, & ornacius ut vobis videbitur collocandi, presentibus aliis devotis & honestis utriusque sexus personis illorum populorum Svecie, Dacie, Norvegie de eadem lingua existentibus, & ex permissione Apostolica, ut debita pietate & reverentia sine scrupulo consciencie aut labe ydololatrie omni solempnitate honorentur, donec ad canonizacionem ipsam, ut in animo nobis est, cum juris solempnibus perveniet, plenariam ac liberam facultatem conjunctim a duobus vel VIII. vestrum aliis legitim' - - - - una cum publicacione miraculorum dictorum beatorum, tenore presencium auctoritate apostolica concedimus facultatem, non obstantibus constitutionibus & ordinacionibus apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Dat. Romæ die XVI. mensis Marcii MCD nonagesimo nono, Anno septimo.

(a) Vid. *MESSENI* Scand. *Illustr. Tom XII. p. 189.*
WASTOFIUS etiam celebrat *HEMMINGUM* propter Zelum,

Zelum, Regibus & potestatibus secularibus resistendi. (b) Vid. *HEMMINGI Vitam in WASTOVII Vit. Aquilon. p. 89.* Visio huic similis tribuitur Sacerdoti anonymo in *legendis S. BIRGITTE.* (c) Erat enim B. HEMMINGUS XIII tunc annos natus. (d) *In Chronico supracitato,* confr. insuper *Rev. BENZELII Notas ad WASTOV. p. 66.* (e) Vid. *Ejusd. Scand. Illustr. Tom IV. p. 72. Tom. X. p. 23. Tom. XV. p. 95.* (f) Vid. *Rev. RHYZELII Episcopos. Tom. I. p. 332.*

§. III.

His jam præmissis, postulat instituti nostri ratio, ut ipsum actum, quo ossa Episcopi HEMMINGI e sepulcro eruta & scrinio argenteo, inclusa fuerunt, quæ ceremoniæ forte absoluebant *Actum Beatificationis* ab insequente *Canonizatione* distingvendum (a), exhibeamus ad tenorem Manuscripti supra memorati. Et ne quid in isthoc desit argumento, adducemus ipsum *αὐτογέγραφο* Gothicum, juxta posituri versionem Latinam, & notulas quasdam passim subjuncturi.

Verduge Hrer och fädr
 tessé eptrikrefine articular
 äre i wor helge sfädrs pa-
 wans och romara gord
 hallands nar som nogor
 hälgr man jomfrw ellr
 quenna ophäffwes och he-
 lig hollas skal, sa skedde
 i beati bonaventura (b) och
 Leopoldi (c) canonizati-
 onibus.

Venerabiles Domini & Pa-
 tres! Subscripti articuli ex
 constituto Sancti Patris Papæ
 solent Romæ observari, quum
 quis illustris Vir vel quæ Vir-
 go aut Fœmina in Sanctorum
 numerum cooptatur; ita fa-
 ctum est in beati Bonaventuræ
 & Leopoldi canonizationibus.

Först mith i Kyrkion en park aff bråde byggjas fa widh och bredh Kyrkian år i millom pelarna XXX alna long och iij alna högt. Thr oppa skal göras eth altar hedrliga breth och langt thr skal högmessan oppa sghias, och oppa then parken kommringhen op, wthn Rijchzens Forstandhr, alle i Rodht åre och gode män flr mz alle bispr och verduge prlatr aff clerkerijdh och ministrants thr skal vara en porth fore ath inghin trengr sig in, wthn till kic-kadh, mith p i trappone skal porthn wara och ij godhi man honom war taghe skule &c.

Item om i hawe icke skrin ath legge strax the hælgedoma in, tha tagr en fyrakanta kistho ellr afflan och lathr henne forgylla mz malara gwll och helge biscop hemmingz wapn oppa alle sidr.

Primum in medio Templi construetur theatrum ex asserbibus æque amplum latumque atque templum est inter columnas, triginta cubitos longum & quatuor cubitos altum. In hoc erigetur ara, satis longa & lata, in qua Missa dicetur. Hoc theatrum ascendere nemini fas est, præterquam Regni Administratori, Senatoribus universis & aliis illustribus Viris, una cum Episcopis, magnis Cleri Præfulibus & Sacrorum ministris. Et ne quis, nisi delegatus sit, irrumpat, in medio graduum porta erit, cui custodiendæ duo præficientur viri robusti &c.

Item si statim non suppetat scrinium, sanctis reliquiis asservandis aptum, sumatur cista quadrata vel oblonga, eaque auri pigmento inaurabitur, & S:ti Episcopi Hemmingi insignibus in quolibet latere ornabitur.

Item: